



do-mûs Ja-cob de po-pu-lo bar-ba-ro. 8.
Facta est Judæa sanctificatio ejus, * Israël
potestas ejus.

Mare vidit, et fugit, * Jordánis conversus
est retrorsum.

Montes exultavérunt ut arietes, * et colles
sicut agni óvium.

Quid est tibi mare, quòd fugisti? * et tu,
Jordánis, quia conversus es retrorsum?

Montes, exultastis sicut arietes, * et colles,
sicut agni óvium?

A fácie Dómini mota est terra, * à fácie Dei
Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquárum, *
et rupem in fontes aquárum.

Non nobis, Dómine, non nobis, * sed nó-
mini tuo da glóriam.

Super misericórdiâ tuâ et veritáte tuâ : * ne-
quandò, dicant gentes : Ubì est Deus eórum?

Deus autem noster in cœlo ; * ómnia quæ-
cumque vóluit, fecit.

Simulácra géntium argentum et aurum : *
ópera mánuum hóminum.

Os habent, et non loquentur : * óculos ha-
bent, et non vidébunt.

Aures habent, et non áudient : * nares ha-
bent, et non odorábunt.

Manus habent, et non palpábunt ; pedes
habent, et non ambulábunt : * non clamábunt
in gútture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea, * et omnes
qui confidunt in eis.